



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Decretvm II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

## SESSIO TERTIA.

**A** Prandio horā primā denuo majori campanā Cathedralis Ecclesiae, ad spatiū medie hore ad Synodū signum datum fuit. Illustrissimus horā secundā decantatis prius vespere, cum suis pectoribz ad Ecclesiam, & more solito à Venerabili Capitulo suo ad fores exceptus fuit. Processit deinde ad chorū, & thronū in eo sibi preparatum, induit se stola, pluviali & mytra. His sacris pavimentis induitus, assumpto baculo pastorali descendit ex throno, & consistens ante altare majus, postquam Diaconus Synodalis facie ad Clerum versa cantavit, Orate, subiunxit antiphonam, reliquaque omnia ut in tertia Sessione

Synodi quinta fol. 308. peracta fuerunt.

In loco Synodali facta ab Illustrissimo ad Clerum allocatione: Venerabiles & dilectissimi fratres, &c. ut in Pontificali; tertiam partem sermonis Synodalis subiunxit; duo scilicet fundamenta quibus illa media assequi, ac utiliter practicare possimus, nempe timorem Dei & Zelum proximi, quæ latius explicavit.

In finito sermone synodali Secretarius Synodi genitrix pettit an placeat Illustrissima S. C. legi de cunctis nonnulla, que specialiter pro hac Synodo ad usum Cleri conselta fuerunt.

Annente Illustrissimo, Secretarius ascendit suggestum, & publicavit de cunctis sequentia.

S E Q U U N T U R  
D E C R E T A S P E C I A L I A  
H V J V S S Y N O D I

## DECRETVM PRIMVM.

**M** Erito dolemus, sicut in sacrificio Missæ celebrando diximus, difformitatem rituum ac ceremoniarum: ita etiam in habendis concessionibus eam non observari à divini verbi Präconibus uniformitatem in rituali seu agenda Nostrâ præscriptam, quam omnino sub poenis sequendam singulis denuo præscribimus, ac etiam Religiosos, ut eam pro populi ædificatione, suoque debito observent, monemus: si qui etiam Religiosi extranei ad manus concionandi debite admissi transfeundo forsitan dicturi sint ex cathedra, prius à Parochis Rectoribusque Ecclesiarum, desuper moneantur ac instruantur.

## DECRETVM II.

**N** Emo post hac tam in Civitate Nostra quam extra, funus Catholice defuncti alio modo deducat, & terræ mandet, quam in Agenda Nostra præscribitur, aut Nos ulterius ordinabimus: pro ut etiam de Acatholicon sepulturis statuemus.

## DECRETVM III.

**C** Vm idem defectus notatus fuerit in nupcias celebrandis, & in Matrimonii sacramento administrando, idem volumus, ut scilicet in rituali Nostro desuper ordinata, atque in Synodis præcedentibus constituta ad amissim serventur. Præterea ob innumeros

abusus, quos in Nostra Dicecesi irrepsisse, & ulterius serpere intelligimus, volumus ac mandamus, ut diebus Dominicis ac festiis nulla sponsalia, matrimonia, aut baptismi nisi infantum revera ægrotorum, à Parochis admittantur, benedicantur aut administrantur, sed in alios dies differantur. Experientia enim docet per similes solemnitates diebus sabbatinis aut vigiliis præcedentibus abstinentias jejuniaque non observari: ipsis Dominicis ac festis mane divinum officium ob adornandas pompas & convivia negligi, totosque dies ad pietatem cultumque divinum institutos commissationibus, compotationibus, scurrilitatibus consumi, iramque Dei provocari: Si tamen, ut dictum est, urgenti necessitate baptismus tali die administrandus sit, omnia convivia prohibita, & in alterum diem rejicienda, mandabimus Nostris decretis specialibus politica spectantibus, cum de his agendum hic non sit.

## DECRETVM IV.

**V**T copia rationum Ecclesie singulis annis à singulis Pastoribus ad Nos vel Vicarium Nostrummittatur, ne bona dilapidentur, Nobisque status, bonorumque Ecclesiasticorum dispositio constet. Percipimus enim in aliquibus locis ultra 10, 12, & plures annos nullos computus præstos, quod tantum negligentia Pastorum, qui debite urgere, & eos quorum interest monere deberent adscribendum